

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. D.

D. LEONI
STROZZA

ARCHIEPISCOPO FLORENT.


HAS PHILOSOPHICAS THESES

D. D. D.

ET PUPLICE PROPUGNANDAS PROPNIT


In Templo Florentino Societatis Jesu


JOSEPH ANDREAS UGOLINI EX CASTRO FLOI



FLORENTIÆ. MDCCIII.

Apud Michaelem Nestenus. Superiorum licentia.





ILLUSTRISS., AC REVERENDISS.


P R Æ S U L.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Robat ad Solem Volucrum
Regina fetus suos : gentili-
tias Tuas ad LUNAS me pro-
bat Philosophia . . Neque

verò minus hoc à me postulat experimento ,
quàm ipsa doceat exemplo . Coelum contem-



platur illa, & Coelum mihi Tuo in Stemmata
 obiicit, ILLUSTRISSE, AC REVERENDISS. PRÆSUL;
 O' Sidera! ò lucem undequaque præclarissima
 per familiæ capita diffusam! fateor oculorum
 imbecillitatem: terreor aspectu, quo recreor:
 Heroum obruor numero: præclare gestorum
 splendore ferior. Parce rerum indagatrix, &
 Naturæ interpret Scientia. Si hac luce proban-
 dum ingenium est, degenerem, imbellemque
 ultrò fateor. Maeste animo, sereno ad hæc
 vultu, inquit Philosophia: in lucem hanc pro-
 ducaris, ut agnoscas: Ingenium mihi satis pro-
 bas, dum ingenio diffidis: *IN MAGNIS ET VOLUISSE SAT EST.*
 Pugnam igitur alacris aggredere, & cujus lucem
 in Majoribus maximam, in Minore majorem
 miraris, ejus umbram Patrocinii tutissimus subii,
 & silentio venerabundus. Major è longinquo
 dicta est olim Majestas: majus è longinquo di-
 cemus obsequium. Propiùs Tanti ad Præfulis
 dotes accedere, laudantis effcet audacia: longiùs
 explicare, quæ taceas laudanda, Laudati non
 ferret Modestia. Quin & vereor, ne illa Tibi
 succenseat, si brevi multa compendio comple-
 xus, & Antistitis virtutes nostris quodammodo
 gaudiis immiscens, & contegens. Undecim Ro-
 mam Leonibus felicem dicas, Florentiam Uno.
 Quid si Præfulis decora penitùs intucare? Quid
 si eas in medium proferas virtutes, quæ latebra-
 rum illustres incolæ esse consuevere. Indigna-
 bitur

v

bitur, si vel notissima laudes; & quæ nemo non commendaverit, vel indè magis laudandus, solus vituperabit. Obtemperabo, ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. PRÆSUL, monenti Philosophiæ; Tuisque tam auspiciis lætus, quàm ob laudum parsimoniam Tuarum, Tuæ penè dixerim modestiæ irascens, dicam profectò imbecillitati meæ, & obediendi necessitati: litterariam pugnam inibo, & ex victoriæ, quam meritis Tuis sperare jubes, vexillo, Tuæ gloriæ velificabor; Tuisque ex Lunis victor, Solem Te, vel tacitus, esse testabor.

Dominationis Tuæ Illustriss. ac Reverendiss.

Humill. Addis. & Obsequentiss. Servus
Joseph Andreas Ugolini.

THESES PHILOSOPHICÆ.

EX LOGICA.

Datur Logica Artificialis, hoc est, habitus studio; & exercitatione acquisitus regulativus per regulas certas, & infallibiles operationum nostri intellectus, & est ad alias scientias totales acquirendas solum moraliter necessaria; Est virtus intellectualis secundum partem Analyticam, Topicam, & Sophisticam; Est veracientia simpliciter, & adæquatè practica; Bene dividitur in Docentem, & Utentem, prima est, quæ dat præcepta quasi in abstracto definiendi, syllogizzandi, &c. Secunda est, quæ per sua præcepta actu dirigit operationes intellectus; Habitus autem Logicæ docentis, & habitus Logicæ utentis non realiter, sed per intellectum solum distinguuntur.

2. Suppositis variis Objecti acceptionibus, & divisionibus, objectum materiale Logicæ non sunt voces, neque res omnes, neque intellectus, itaut Objectum attributionis sit, vel voces rectè dispositæ, vel res rectè cognitæ, vel intellectus rectè intelligens, sed Objectum materiale sunt operationes intellectus, quatenus dirigibiles, Objectum formale est ipsa reïtudo, & operatio recta, est Objectum attributionis, & licet Objectum adæquatam Logicæ sint omnes tres operationes, asserimus tamen Objectum principale Logicæ Aristotelicæ esse syllogisum demonstrativum.

3. Entia rationis Logica, ut esse cognitum, esse genus, &c. & universim omnes secundæ intentiones Logicæ non constituuntur formaliter per aliquam relationem fictam, neque per aliquod ens diminutum, atque abusivum, sed sunt denominationes extrinsecè reales provenientes à formis realibus, scilicet cognitionibus tali-

A

ter,

2
ter, vel taliter tendentibus in objecta. Universale Logicum est unum aptum prædicari de pluribus; in ipsa actuali prædicatione retinet universalitatem; rectè dividitur in quinque quasi Species, quæ sunt Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens; hæc quinque prædicabilia benè definiuntur solitis definitionibus, Genus, ut habeat rationem prædicabilis, requirit plures Species saltem possibiles, prædicatur de suis inferioribus per modum totius potestativi, & habet rationem partis actualis componentis unà cum differentia Speciem. Differentia specifica consistit in dissimilitudine essentiali plurium in eodem genere contentorum; rursus dicimus repugnare Speciem immultiplicabilem. Individuum est, quod de uno tantum prædicatur, potest abstrahi ratio communis ab omnibus individuis in particulari.

4. Voces significant primariò, & immediatè res, secundariò verò, & mediatè conceptus. Veritas formalis est conformitas cognitionis cum objecto sicuti est in se, datur solùm in actibus iudicativis; non reperitur ergo in rebus, neque in sensibus, neque in simplici apprehensione, in quibus tantùm reperitur veritas materialis, & radicalis. Veritas formalis non suscipit magis, & minùs, licèt suscipiat falsitas, adeoque una propositio, licèt non possit alia verior esse, potest tamen esse falsior. Non est adæquatè intrinseca actui vero. Ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, tam absoluto, quàm conditionato altera est determinatè vera, & altera determinatè falsa, etiam prescindendo à Divina scientia, & à Divino decreto. Actus semel verus non potest transire in falsum, nec è contrario.

5. Discursus est progressus intellectus ab una notitia in aliam; hinc sequitur ad rationem discursus requiri pluralitatem notitiarum, itaut una notitia ab alia inferatur. Discursus includit essentialiter non solum conclusionem, sed etiam præmissas. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint. Vis syllogistica fundatur in illis principiis dictum de omni, & dictum de nullo. Positis præmissis, quibus intellectus assensum præstitit, necessitatur, ad assensum conclusionis, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium. Demonstratio est syllogismus faciens scire; alia est à priori, alia à posteriori. Demonstratio à priori procedit ex veris, primis immediatis, & notioribus, causisque conclusionis. Datur scientia de novo, quæ non est pura reminiscencia, & definitur cognitio certa, & evidens demonstras de suo objecto proprietates per certas demonstrationes. Dividitur in practicam, & speculativam, quæ diversitas defumitur ex fine utriusque. Possunt in eodem intellectu stare simul actus veræ scientiæ, opinionis, & fidei tum divini, tum humanæ circa idem objectum materiale.

EX

3
P E X P H Y S I C I S .

PHYSICA, quæ est verâ Scientia speculativa habet pro objecto attributionis corpus naturale, ut naturale. Principia intrinseca corporis naturalis sunt illa, quæ neque ex aliis, neque ex alterutris, sed ex his omnia fiunt. In fieri corporis naturalis sunt tria, scilicet Materia, forma, & eius privatio; In facto esse sunt duo, nimirum Materia, & Forma; Materia prima, quæ est substantia incompleta, definitur positivè, & negativè, positivè sic: Est primum subiectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid cum inest, non secundum accidens, & si aliquid corrumpitur in hoc abibit ultimum; Negativè definitur, quod per se ipsam neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid aliud, neque negationes horum, sed id, de quo omnia prædicantur, est ingenerabilis, & incorruptibilis, est pura potentia physica, non metaphysica, quia includit actum entitativum; Habet propriam existentiam, per quam saltem inæquate existit, præscindendo ab existentia forme; & licet materia prima non possit naturaliter existere spoliata omni forma substantiali, supernaturaliter tamen potest. Appetit appetitu innato omnes formas, non quidem appetitu similitatis, sed similitate appetitus. Hic appetitus est indistinctus à materia, & est appetitus æqualis ad formas inæquales. Necessitas materiæ primæ colligitur ex conceptu quidditativo transmutationis substantialis, & ex universalissima inductione in cæteris mutationibus, tum naturalibus, cum artificialibus.

2. Forma substantialis definitur communiter: Ratio ipsius quidquid erat esse rei; Formæ materiales educuntur de potentia materiæ; Formæ spirituales sicut non subsistentur à materia, ita nec in illius potentia continentur, nec ex illa educuntur, sed creantur à Deo. Falsissima est, imò periculosa in fide sententia Atomistarum negantium omnes formas substantiales (excepta anima rationali) & omnia accidentia physica distincta à substantia, & motu locali corporum, & constituentium omnes mutationes substantiales, & accidentales mutationes per meram Atomorum diversitudine figuratarum combinationem. Dantur igitur in compositis naturalibus, præter formas accidentales formæ etiam substantiales, quæ sunt veræ substantiæ incompletæ, & partes compositi actuates materiam, cum qua constituunt substantiam completam.

Forma licet sit pars principalior compositi, tamen non est tota illius quidditas. In eodem vivente non dantur simul, præter formam totalem aliarum formæ, vel corporeitatis, vel partiales, adeoque Caro, Os, Cor, &c. solum materialiter, & non formaliter diffe-

4. Privatio formæ subsequētis est principium per se fieri corporis naturalis. Compositum præter materiam, & formam includit unionem, quæ necit utrumque extremum. Hæc unio est modus substantialis superadditus materiæ, & formæ essentialiter requisitus ad constituendum unum compositum, in quo unica tantum datur unio recepta in materia. Non distinguitur realitèr compositum à suis partibus collectivè sumptis.

3. Natura definitur: Principium, & Causa, motus, & quietis ejus, in quo est primò, & per se, & non secundum accidens; Ars dicitur naturæ imitatrix, quia applicando activa passivis producere potest plures effectus naturales: Ars Chymica directivè concurrens verum aurum efficiens repugnat moralitèr, non physicè; Causa est principium deterrminans cum virtute adesse aliquid; Alia est materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis. Negamus in causis efficientibus mutuam causalitatem, & admittimus posse supernaturalitèr eundem numero effectum pendere à duplici causa totali. Causa ad hoc ut agat indiget conditionibus requisitis ad agendum, scilicèt, ut detur approximatio, dissimilitudo, & distinctio inter agens, & passum; Negamus actionem in distans naturalitèr loquendo, & actionem similis in simile in qualitatibus corruptivis.

4. Actio, quæ definitur: Actus hujus ab hoc non distinguitur realitèr à passione, quæ definitur: Actus hujus in hoc; Probabilius est actionem recipi in passio. Causa finalis est illa, cujus gratia cætera fiunt; Virtus causæ finalis est sola bonitas apprehensa vera, vel apparens ipsius finis. Sola agentia intellectualia agunt formalitèr propter finem. Substantia producitur immediatèr ad accidentibus, tamquam à causa instrumentali.

5. Deus immediatè, & necessariò concurret ad omnes, & singulos effectus causarum secundarum; Hic concursus Dei non est physica prædeterminatio, quæ multiplici ex capite repugnat, & præsertim ex eo, quod non cohæreat cum libero arbitrio, & repugnet potentix resistendi, & dissentendi, faciatque Deum auctorem peccati [quæ tamen non censurè dicimus, sed illativè] ad quod Deus nullo modo prædeterminat voluntatem creatam, etiamsi peccatum consideretur secundum esse materiale; Per hoc tamen non negamus, imò asserimus Deum prædefinire actus bonos creaturæ; Est igitur concursus Dei in actu primo cum causis secundis exhibitio Omnipotentix indifferentis; In actu verò secundo est ipsa actio, quæ Deus, & creatura indivisibiliter agunt.

6. Motus, qui est præcipua proprietas corporis naturalis, definitur: Actus entis in potentia, prout in potentia, quæ definitio convenit successivis, & instantaneis motibus. Dividitur motus in motum generationis, alterationis, augmentationis, & in motum localem.

Gene-

5

Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ut subiecto eodem; ejus terminus formalis est sola unio. Subjectum inhesionis accidentium materialium non est totum compositum, sed materia prima, in qua recipiuntur mediante quantitate; Hinc negamus fieri resolutionem usque ad materiam primam in generatione substantiali. Alteratio corruptiva est mutatio in qualitatibus contrariis; aut mediis manente eodem subiecto sensibili; est motus successivus, & continuus; Intensio qualitatis alterativæ fit per additionem gradus homogenei ad gradum in eadem parte subiecti.

7. Locus physicus est superficies prima corporis continentis immobilis; Præter locum extrinsecum datur etiam locus intrinsecus, sed ubi modaliter distinctum à loco extrinsecò, & corpore locato; Per hoc ubi res est formalitèr in loco, & per idem determinatur ad hoc ut sit potius in uno; quàm in alio loco. Supernaturalitèr non implicat penetratio corporum, licèt repugnet naturalitèr; potest idem corpus de potentia Dei absoluta esse in pluribus locis non solum definitivè, sed etiam circumscriptivè, non potest tamen replicari ipsum ubi. Non potest dari creatura, quæ sit, & nullibi sit.

8. Vacuum philosophicè consideratum est locus realis carens corpore contento; repugnat naturalitèr, plura experimenta, quæ afferuntur à nonnullis ad probandum dari naturalitèr vacuum non probant intentum, & in specie experimentum præclarissimi Mathematici Evangelistæ Torricelli de Barometris, seu Vitreis Fistulis cum Hydragyro non probat in segmento extante, seu parte relicta à Mercurio descendente usque ad certam mensuram esse vacuum; adeoque egregiè allucinatur illi, qui dicunt esse demonstrationem ocularem loci sine locato in prædicto segmento extante Barometri, imò reponimus esse demonstrationem ocularem loci cum locato.

9. Rursus machina Pneumatica Roberti Boyle, neque probat fieri vacuum in Recipiente, quod est vas vitreum, negamus enim totum aerem Recipientis deducto pluries embolo, commeari in Anthlyam; attenuatur quidem aer in tali casu, totus non extrahitur; ex tali autem aeris attenuatione sequitur ut non possit deservire animalium respiratiõis; dum autem animal in recipiente positum respirare nequeat, mirum non est si intreat, idem dicimus de cæteris Phœnomenis, quæ succedunt in prædictis experimentis non probari ex illis fieri vacuum. Natura igitur, quæ maximè abhorret à vacuo, utitur tamquam instrumentis vi elastica corporum, virtute trahente embolum in Anthlys, aeris præssione, tensione, gravitate, (si verè gravitet) levitate, rarefactione, & densitate corporum ad impediendum vacuum; Cum toto hoc tamen asserimus præsertim contra Chartesium per Divinam Omnipotentiam posse fieri vacuum, & in tali casu potest fieri motus gravium, & levium,

alii-

alique motus, dummodo non fiat nova corporum disjunctio. Datur vera corporum rarefactio, & condensatio independentè à vacuitatibus, & introductione, vel exclusionè corpusculorum.

10. Tempus est mensura, seu numerus motus secundum prius, & posterius; præter tempus extrinsecum datur etiam intrinsecum, scilicet duratio, quæ est: modus superadditus determinativus rei, ut hoc potius quàm alio tempore duret, implicat creatura, quæ sit; & nunquam sit.

11. Admisso infinito synchathegorematico negamus omne infinitum cathegorematicum creatum; negamus etiam possibilem esse creaturam perfectissimam, qua perfectior sit impossibilis. Negamus etiam creaturam aliquam potuisse esse ab æterno, vel sit permanens, vel successiva.

12. Quantitas est accidens distinctum à re quanta, ejus effectus formalis non est extensio localis, aut extensio partium in ordine ad se; aut ratio mensuræ, sed est naturalis impenetrabilitas, subjecti, cui inest, cum alio subjecto eodem accidente affecto.

13. Continuum non componitur ex indivisibilibus, sive hæc indivisibilia sint mathematica, ut voluit Zeno, sive sint formalitèr indivisibilia, & virtualitèr divisibilia, sive indivisibilia divisibilitèr locata, quæ alio nomine vocantur puncta inflata, sive sint indivisibilia physica, quæ vocantur minima physica.

14. Probabilius existimamus cum Aristotele continuum componi ex partibus divisibilibus in infinitum non actu; sed potentia tantum distinctis, & hanc sententiam problematicè tantum propugnamus.

15. Mundus est simpliciter perfectus, & unus; non est animatus; non fuit, nec potuit esse ab æterno. Cœli, seu regiones stellarum sunt liquidæ. Negamus systema Copernicanum, & admittimus Thyconicum. Syderibus fixis inest lux innata. Agunt sydera in hæc inferiora non solum per lucem, sed etiam per alias influentias. Elementa, quæ remanent in mixtis solum virtualitèr sunt quatuor, scilicet Terra, Aqua, Aer, & Ignis, & constant ex materia, & forma substantiali distincta à primis qualitativibus. Unicuique elemento conveniunt duæ ex primis qualitativibus una in summo, alia in excellenti; Sunt autem primæ qualitates quatuor, omnes positivæ, & activæ, nimirum Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas. Virtutes motrices elementorum sunt distinctæ à substantia ipsorum elementorum, & à combinatione, & temperamento primarum qualitatum, & sunt qualitates positivæ. Elementa in propriis locis non gravitant, neque levitant.

16. Anima bene definitur actus primus corporis organici physici potentia vitam habentis. Conceptus vitæ in actu secundo est perfectio simpliciter simplex, & prædicatur univoce de Deo, & creaturis. Non dantur in eodem vivente, nec simul, nec successivè plu-

res animæ, sed solum unica anima, quæ est principium plurim⁷ operationum vitalium; Partes fluidæ, & humores non sunt animati; partes verò, quæ vivunt in actu secundo, ut Organa, Caro, Nervi, Pili, Ungues, &c. animantur. Omnes animæ præter rationales sunt materiales, adeoque divisibiles. Potentiæ animæ nec inter se, nec ab anima distinguuntur realiter.

17. Potentiæ animæ vegetativæ sunt nutritiva, augmentativa, & generativa. Est verissima sententia de circulatione sanguinis in corpore animalis. Potentiæ animæ sensitivæ sunt sensus, tum interni, tum externi. Dantur species impressæ non solum in potentia visiva, sed etiam in aliis sensibus. Visio fit per introsusceptionem specierum non per extramissionem radiorum. Lux est qualitas physica, & non sunt corpuscula eivibrata à Sole, Stellis, vel alio corpore luminoso, ut falsò imaginantur nonnulli; Præter colores apparentes, & transeuntes, dantur etiam colores reales, & permanentes. Fit visio in Retina, Allucinantur ergo aliqui Atomistæ docentes nullum alium dari sensum in animali præter tactum, qui prout magis, vel minus acutus diversimodè nominatur nunc oculus, nunc auris, &c. sensationes verò aliud non esse, quam titillationes, seu vellicationes atomorum sensibus occurrentium, qui solum ratione diversarum vellicationum, quas percipiunt diversificantur inter se. Anima rationalis est forma informans corpus humanum, est immaterialis, indivisibilis, & immortalis; habet anima rationalis duplicem statum, alium in corpore, alium extra corpus, utrumque tamen illi connaturalem.

EX METAPHYSICIS.

METAPHYSICA, quæ est Scientia speculativa, habet pro objecto adæquato ens reale, quod ens reale bene explicatur, quod sit illud, cui non repugnat existere physicè; perfectè præscindit à suis differentiis, & differentiæ ab ente; adeoque conceptus entis respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis est univocus. Possibilitas actualis alterius mundi non est aliquid physicè existens intrinsicè mundo possibili, & à Deo contradistinctum, quocumque modo vocetur, sive ens diminutum, sive ens abusivum, neque talis possibilitas est sola denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei potente alium mundum creare, sed est possibilitas intrinseca, quæ consistit in hoc, quod si alter mundus existeret, non sequerentur duo contradictoria. Potest intellectus cum creatus, tum increatus facere ens rationis metaphysicum, & concipere impossibile, quod ens ratio-

ratio-

rationis definitur esse illud, quod tantum habet esse objective in intellectu. Negationes objective sumptæ formaliter non identificantur cum ente positivo, neque sunt aliquid à parte rei, quod dicatur ens negativum, sed proprie loquendo nihil sunt independentes ab intellectu. Essentia in rebus creatis non distinguitur ab existentia. Attributa entis sunt tria, scilicet unum, verum, & bonum. Unitas in abstracto est negatio divisionis; superaddit supra ens negationem.

2. Unitas alia est universalis, alia numerica, sed individualis. Universale metaphysicum est unum aptum esse in multis; non datur à parte rei, nec in singularibus, nec extra singularia, neque in Ideis Platonicis, sed solum in intellectu creato, à quo solo fit per cognitionem directam, & præcisivam, non objective, sed formaliter. Principium individuationis, seu unitatis numerice non desumitur à materia, vel per ordinem ad ipsam, neque per ordinem ad circumstantias materiales, sed est ipsa entitas cujuslibet entis singularis. Identitas realis est summa unitas extremorum, quæ major dari non potest, dicens ipsorum consensum in omni omnino perfectione cum mutua affirmabilitate in recto. Distinctio verò est vera extremorum de se invicem negativitas in recto.

3. Inter gradus metaphysicos realiter identificados nulla datur distinctio media inter realem proprie dictam, & rationis. Negamus etiam in creaturis omnem distinctionem virtualem, vel sit extrinseca, vel intrinseca, quæ sit capacitas ex parte objecti ad sustinenda prædicata contradictoria; solum igitur agnoscimus inter prædictos gradus distinctionem rationis ratiocinatæ. Hinc negamus præcisionem objectivam. Denique ens reale bene dividitur in decem prædicamenta, quæ sunt: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. Substantiæ conceptus bene explicatur per hoc quod sit principium per se subsistendi, & aliis substandi. Dividitur in primam, & secundam, hoc est in singularem, & universalem. Relatio alia est prædicamentalis, alia transcendentalis; prædicamentalis non consistit in solo fundamento, nec in sola ratione fundandi, nec est entitas modalis distincta à termino, fundamento, & ratione fundandi, sed constituitur formaliter per utrumque extremum posita ratione fundandi. Nec datur adæquatè ad terminum non existentem.

